

Disputatio Theologica III. Lycei Cives ad pium Sacrae Coenae usum invitans de Fide in Nomen Domini nostri, Jesu Christi, Filii Dei

Bremæ: Typis Viduae B. Herm. Christ. Jani, [1745?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862633893>

Druck Freier  Zugang






381

a. B.
48. b. 8.

14.

Fa-1092 (14)

2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.



Disputatio Theologica

Ill. Lycei Cives
ad pium Sacræ Coenæ usum

invitans

de

Fide

in

**Nomen Domini nostri, Jesu
Christi, Filii Dei,**

quam

Præfide

Rectore Magnifico

NICOLAO NONNEN,


S. Th. D. & Prof. P. atque Cætus Mariani Pastore.

a. d. Jovis 15. Decembris h. l. q. f.

tuebitur

SIMON HENRICUS STOKMEIER,

Detmoldia Lippiacus.



B R E M Æ,

TYPIS VIDUÆ E. HERM. CHRIST. JANI, QVONDAM ILLVSTRIS
GYMNASII TYPOGRAPHÆ.

2
2
2
2
2
1 30
15
14
11. 3
12

ILLUSTRIBUS

LIBERÆ REIPUBLICÆ BREMENSIS

PROCERIBUS

PERQUAM MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS,
CONSULTISSIMIS VIRIS,

DN. HENRICO MEIER

JCTO, CONSULI SENIORI, ECCLESiarUM QUÆ IN
AGRIS TERRITORII URBIS, CHRISTO COLLIGUNTUR, VISI-
TATORI VIGILANTISSIMO, BIBLIOTHECÆ ÆDISQUE D.
MICHAELIS INSPECTORI.

DN. DANIELI A BÜREN

JCTO, CONSULI, ECCLESiarUM AGRI BREMENSIS
VISITATORI, XENODOCHII AD D. REMBERTI PROVISORI,
ET JUDICI HÆREDITARIO IN BORGfeldT.

DN. DIDERICO MEIER

JCTO, CONSULI, ET h. t. CUM MAXIME PRÆSIDI
PRO SALUTE PUBLICA SUMMA CURA EXCUBANTI,

DN. HENRICO LAMPE

JCTO, CONSULI, GYMNASII ILLUSTRIS SCHOLAR-
CHÆ GRAVISSIMO.

NEC

2
2
2
2
2
30
15
14
11
12

NEC NON
V I R O
PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO,
CONSULTISSIMO,
DOMINO
HENRICO GERHARDO
SCHUMACHER

JCTO, PROFESSORI QUONDAM ILLUSTRIS SCHOLÆ
CLARISSIMO, NUNC VERO SENATORI, ÆRARIJ PUBLICI ET
REI MILITARIS PRÆFACTO, SCHOLARCHÆ GRAVISSIMO,
ET JUDICI HÆREDITARIO IN BORGFELDT,

MUSARUM PATRONIS
AC MÆCENATIBUS
MUNIFICENTISSIMIS.
OMNI HONORIS ET OBSEQUII CULTU
PROSEQUENDIS

HANC DISSERTATIONEM

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA ET ANIMI SUBMIS-
SIONE SACRAM FACIT,
RESPONDENS.



Disputatio Theologica
de
Fide in Nomen Domini nostri, Jesu Christi, Filii Dei.

§. I.



Quicumque reverentia erga sacra oracula ducuntur, uti præsumunt nihil in illis frustra, tum absque causa tum absque fine decenti scriptum esse, uti & illud exploratum habent ac inductione quam plurimorum exemplorum evincere valent; sic cuilibet dictioni atque voci, peculiarem ipsis sensum attribuere student, distinctum ab illarum, quæ synonymæ & parallelæ primo apparent intuitu. Plenam atque perfectam dari synonymiam vocum & phrasium, sic ut quæ cognatæ videntur, atque rem in multis, quin quam plurimis convenientem designant, in nullis discerni possint, nihilque peculiare & distinctum ab eo, quod in synonyma denotatur, significant, eo minus conjicere licet, quoniam
A in


2
2
2
2
2
11 30
15
14
11
12



in nulla lingua id locum habet, inque nullius sapientis oratione aut scripto. Voces sunt signa rerum, quæ notiones illis respondentem in nostra mente excitare debent. Arbitraria licet sint signa, habent tamen significatum, ipsis primum & determinatum, ex linguarum natura atque usu. Apud sapientes, qui rerum qualitates atque attributa, per quæ discernuntur, inspiciunt penitus, cujuslibet vocis & phraseos sensus tanto magis est determinatus, quo magis distinctas notiones rerum, mens illorum fovet. Quid vero non liceat præsumere, de divinis verbis, inspiratis a Spiritu omniscio & sapientissimo? Cumque religiosi Sacerdum Litterarum interpretes, operam felicissimo successu indes impendant, ut determinatum sensum vocum eruant, cum maxime illum quo a synonymis distinguuntur, augetur distinctarum notionum Theologicarum numerus, in insigne incrementum cognitionis salutaris, & tolluntur obscuritates atque enata inde dubia, quæ ex confusione rerum discernendarum cæteroquin ortum ducunt.

§. II.

Considerantibus nobis phrasem quibus fides in sospitorem, qua justificamur & salvamur, in Sacris describitur, deprehendentibusque distinctionem insignem in illis, imprimis in attributis Servatoris, quæ ut objectum actus fidei spectantur, suspicati fuimus, numne illis specialia & distincta fidei exercitia denotentur. Inquisivimus in notionum diversis istis vocibus indicatarum distinctionem, contulimus illas cum generali notione fidei atque elicuimus inde diversas affectiones & actiones animæ credentis, quæ inde resultant, excussimus denique dicta in quibus diversæ istæ phrasem de fide occurrunt, deprehendimusque ex illorum nexu & scopo, specialia fidei attributa & qualitates illis denotari. Specimen dabimus per illustrationem phraseos, fides & credere in NOMEN Jesu Christi,



Christi, aut Domini nostri, aut filii Dei. Sæpius illa adhibetur, attamen diversa vocum constructione. *πισεύειν* *ἐν ὀνόματι* legitur Joh. I. 12. II. 23. III. 18. I. Joh. III. 23. V. 13. In primo, tertio, quarto & quinto dicto, scribitur credere in nomen filii, & unigeniti filii Dei, in secundo credere in nomen Jesu, in quarto, illud singulare est, quod dicitur *πισεύειν τῷ ὀνόματι*. Affinis est phrasis *πίσις τῷ ὀνόματι τῆς εὐαγγελίᾳ* Act. III. 16. ut & alia *πισεύειν τῷ κυρίῳ* Act. V. 14. *πισεύειν ἐπὶ τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν* Act. IX. 42. XI. 17. XVI. 31. XX. 21. XXII. 19. XXVI. 18. collato *ἄλλοι* 15. Vox enim *κυρίῳ* adhibita de Sospiratore, idem indicat quod nomen; denique *πίσις ἐν κυρίῳ* Ephes. I. 15.

§. III.

Objectum istud fidei in aliis locis alia declaratur phrasi, credere scilicet in Jesum, sæpissime in Evangeliiis, in primis Johannis; porro credere in Jesum Christum Matth. XVIII. 16. Joh. II. 11. Gal. II. 16. in filium Dei Joh. III. 16. 36. VI. 40. IX. 35. 36. I. Joh. III. 23. V. 5. & 10. in missum a Deo Joh. VI. 29. in lucem Joh. XII. 36. & 46, cum maxime in sanguinem ejus *πίσις ἐν τῷ αἵματι Ἰησοῦ Χριστοῦ* Rom. III. 25.

§. IV.

Disquirendum est, an promiscue omnes atque iidem fidei actus, distinctis his phrasibus indicentur, an speciales, quos elicit specialis illa objecti qualitas, memorata in phrasi, & specialem in mente excitans repræsentationem, cui respondet actus ille fidei qui denotatur. Certum quidem est, objectum esse atque manere eundem Sospiratorem, cujus universum opus cedit in salutem credentibus, quodque respectu salvationis ut & respectu reverentiæ & amoris ipsi contestandis, discerpendum est neutiquam. Certum quoque eandem intelligi in dictis, in quibus de illa agitur, fidem justificantem & salvificam. Hinc nihil

2
2
2
2
2
2
30
15
14
11
12



in Sospitare excludimus, quod fidei objectum non sit, si illa generatim spectetur. Verum, quum variae sint relationes Servatoris ad credentes, variaque ejus merita, quum & fidei actus sint multiplices, id proprie est in quaestione, numne phrasi FIDEI IN NOMEN ejus, designentur actus fidei speciales, circa istam Servatoris qualitatem istasque ad credentes relationes, quas vox *ὁνομα* indicat, distincti ab istis actibus, qui inveniuntur per reliquas phrasas §. III. recensitas. Nobis istud exploratum est. Etenim 1) in confesso est apud omnes, dari distinctas Sospitatoris qualitates & relationes, distinctosque ejusdem fidei actus, cum autem quodlibet eorum & relationes & actus, diversis indicentur vocibus phrasibusque, confundenda non sunt discreta, sed cum qualibet phrasi, in mente conjungenda est ista notio, quae ei responderet quamque facer Scriptor intendit. 2) Differunt certe qualitates & relationes Christi, indicatae vocibus legati, Lucis, Domini, sanguinis, & nominis ejus. Nemo inprimis confundet sanguinem & nomen ejus, aut pro synonymis habebit, cum iste fufus sit in statu exili, hoc ipsi concessum in statu exaltato. Actus idcirco fidei, qui circa illa objecta versantur, pro ipsorum objectorum diversitate, erunt diversi. 3) Ipsa quoque nomina Jesu Christi, filii Dei, unigeniti, atque Domini nostri, diversas in Sospitatore qualitates indicant, hinc cum diversas menti proponant speciales notiones, fidei idcirco actus ex istis notionibus orientes, & directi in Servatorem secundum representationes quas illae menti proponunt, erunt speciales & eapropter distincti. 4) Sacra quoque in variis dictis, quae contemplabimur, ubi per adjuncta fidem in nomen Servatoris uberius declarant, ei attribuent affectiones, quae in fidem in sanguinem Jesu, insignite & distincte spectatam, non eadunt.

§. V.

Quo vero specialis ista affectio fidei in nomen Servatoris,



toris, pateat dilucidius, de natura fidei quædam in antecessum præsupponimus, quæ cæteroquin a Theologis uberior evincuntur. Conceptum illorum de fide adoptamus, qui maxime generalem illius notionem ponunt in assensu, orto ex persuasione atque convictione de objecti veritate atque bonitate. Prior assensus de veritate objecti, merus est actus iudicii, a quo si absit posterior, fides solum est historica. Posterior assensus ex persuasione de bonitate objecti, actus est voluntatis, qui priorem præsupponens, formale veræ fidei constituit. In illo enim voluntatis assensu, radix est approbationis objecti, consensus in illa quæ objectum peregit agitque ad nostram salutem, desideriorum tendentium ad salutem isto modo partam & applicandam, ut & actuositatis, conformis persuasioni de objecti bonitate, quæ si adest fides est viva & operosa, si abest mortua. Ex fidei veræ & vivæ circa objectum exercitio, oritur cognitio experimentalis de objecti bonitate, quæ mater est fiducia, altioris fidei gradus, sive certæ persuasionis, nos per objectum bonum amatumque esse beatitatis perfectionisque istius participes reddendos, quam ab objecto desideravimus atque expectare possumus. Si assensus uterque iudicii & voluntatis conformis sit regulæ fidei, illa est integra vel ex toto corde, si difformis sit, eique solum partim respondeat omittis aliis, vel si admisceat quæ regula aut non requirit aut rejicit, quod vario fieri potest modo, est manca. Si intentio in assensu integro, consentiat cum actibus externis, est sincera vel *ἀνομιμωτος*, si intentio animi dissentiat ab actibus externis, speciem fidei mentientibus, est simulata. Ad hos terminos hasque notionès simplices, rediguntur, quæ in Sacrorum stylo tropico & allegorico de fide prædicantur. Præmissimus hæc, rerum gnaris satis patentia, quoniam in tractatione sequente, istas tum verarum falsæ fidei in nomen Servatoris affectiones considerabimus.

2
2
2
2
2
2
1
30.
15.
14.
11.
12

§. VI.

Lustrandum quoque est objectum hujus fidei Servatoris NOMEN. Solent quam plurimi Interpretes, nomen illud declarare, per ipsum Servatorem, ratione ducta a nomine Dei, quæ phrasis ex ipsorum sententia ipsum Deum denotat. Verum præterquam quod id nullo unquam evictum sit argumento, quum nomen Dei non ipsum Deum, sed id quod de se revelavit, gloriamque ejus manifestatam designet, differt nomen naturale seu gloria essentialis, quæ Deo competit, & nomen concessum, quale Servatori Θεανδρώπων est attributum. Declarationem ejus in aliquibus dictis N. T. legimus, nec ulla adest causa, ob quam a determinato in illis sensu recedamus, illumque dilatemus. Generalis maxime notio est gloriæ, sive complexus perfectionum, quæ aliis innotescunt, concessæ ipsi ut Θεανδρώπων post consummationem operis, aut ut paucis efferri solet, gloria mediatoris. Declaratur illa notio inprimis Phil. II. 9. 10. & Ebr. I. 4. in quibus dictis omnis gloria Servatori concessa, ejus appellatur ὄνομα, pondus ejus vero, ex comparatione cum aliis entibus, gloriam possidentibus describitur. Præstantia ejus præ angelorum natura & gloria Ebr. I. 4. dum dicitur accepisse ὄνομα διαφορώτερον; præstantia vero præ quibuslibet rebus creatis rationalibus Phil. II. 9. 10. ubi dicitur ὄνομα τὸ ὑπὲρ πάντων ὄνομα, quod Deus ipsi concessit ἐν ὑπερυψώσει, isto fine, ut a rebus creatis agnoscat, confessione celebretur, & cum maxime reverenter habeatur, ab omnibus subjectis aut subjiendis ejus dominio, quod in nupera dissertatione illustravimus.

§. VII.

Liquet inde, strictum & determinatum nominis Servatoris significatum, referendum esse ad gloriam, ad quam sibi obedientia utraque aditum paravit. Ubi igitur illius
 mentio



mentio occurrit, tanquam objecti fidei & reverentiæ, ibi stricte de gloria Θεανθρώπου exaltati cogitandum est. Equidem negare nolumus, aliquando ad hujus gloriæ partes speciatim respici, interea generalis notio gloriæ & status exaltati manet. Sic notat auctoritatem, quæ pars est gloriæ, seu jus & potestas regendi subjectos, Act. IV. 7. Ἐν ποία δυνάμει, ἢ ἐν ποίῳ ὀνόματι ἐποιήσατε τῆτο ὑμεῖς, *cujus potestate & in cuius NOMINE fecistis hoc*, ubi potestas distinguitur à nomine, quod idcirco jus indicat. Et fortassis id primario intenditur in formula baptismi, qui in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti fieri debet Matth. XXVIII. 19. quamlibet dominium non excludatur, quoniam dicitur εἰς ὄνομα, ad quod agnoscendum, confitendum & celebrandum obstringebantur baptizati. Præterea adhibetur de potentia insignes producendi effectus, qui à Dominio in rem creatam pendent, Act. III. 16. καὶ ἐπὶ τῇ πίσει τῆ ὀνόματος αὐτοῦ, τῆτον, ὃν θεωρεῖτε ἢ οἶδατε, ἐξερέωστε τὸ ὄνομα αὐτοῦ, & per fidem nominis ejus, hunc quem conspicietis & nostis, nomen ejus stitit erectum, coincidit cap. IV. v. 10. Indicare quoque sæpe dominium, sequelam exaltationis, inde conficimus, quoniam credere in Dominum Act. IX. 42. & XIV. v. 23. idem dicit ac credere ἐπὶ τῷ ὀνόματι, & εἰς ὄνομα. Dicitur Christus exaltatus, κύριος domini summi causâ, qui per exaltationem una gloriam adiit, atque constitutus est Dominus Act. II. 36. Redeunt tamen omnia ad gloriam, quam sibi tanquam mediator acquisivit & à Patre impetravit.

§. VIII.

Observandum est, relationes nominis Jesu, tum ad fidem in illud, tum & ad alios humanos actus varias poni, idque in nostris translationibus efferi plerumque IN NOMINE, attamen diversam esse constructionem vocis ὀνοματος cum diversis præpositionibus. Dicitur enim ἐν ὀνόματι, εἰς ὄνομα, ἐπὶ ὀνόματι, διὰ ὄνομα, διὰ ut & ἐνεκεν & ὑπὸ ὀνοματος, porro

2
2
2
2
2
2
30
15
14
11
12



porro absque præpositione τῷ ὀνόματι & κυρία aliquid agere & præstare. Non quidem sustinemus evincere, ubicunque in istis constructionibus, præpositiones ἐν, εἰς & ἐπί distinctos habere significatus, tamen contendimus id sæpius obtinere. Cognitio autem hujus distinctionis, quamvis vox πλεως non construatur cum omnibus istis præpositionibus, illustrabit valde materiam & affectiones fidei in nomen Jesu Christi. Ονομα seu nomen aut gloria mediatoris, relata ad hominum actiones, per diversas istas constructiones, diversimode proponitur, ut actionis operisve vel causâ, vel finis vel incentiva, sive argumentum movens. Dum dicitur ἐν ὀνόματι, gloria vel pars ejus, potentia aut auctoritas, tanquam operis causâ, aut actionis fons plerumque spectatur. ἐν ὀνόματι id est ex autoritate Christi, vel fiducia in illam, aut jussu quin & ex potentia, prore nata, sperabunt gentes Matth. XII. 21. dabunt potum confessoribus Marc. IX. 41. beatus qui venit Marc. XI. 9. vera miracula patrandâ Marc. XVI. 17. Act. III. 16. Dæmones subjecti Luc. X. 17. preces fundendâ Joh. XIV. 13. 14. XV. 16. XVI. 23. 24. impetranda vita æterna Joh. XX. 31. stabat sanatus erectus Act. IV. 16. Illæ igitur phrasæ τὸ ὄνομα ut causam designat.

§. IX.

Idem Phrasîs εἰς ὄνομα gloriam Servatoris actionis operisque ponit esse finem, quod est aut confessione aut celebratione. Obrinet hoc Matth. XVIII. 20. ubi de congregatis εἰς ὄνομα Servatoris, itidem Act. VIII. 16. ubi de baptizatis à Philippo Evangelista Samaritanis εἰς ὄνομα τῷ κυρίῳ Ἰησοῦ, id est ad obedientiam & ad celebrationem seu cultum gloriæ Jesu, qui nondum acceperant Spiritum Sanctum, cujus causâ Johannes & Petrus Apostoli, eo descendere debebant. Id enim βάπτισμα εἰς τινὰ insinuare suadet dictio 1 Cor. X. 3. ubi de baptisinate Patrum εἰς Μωϋσιν, indicat ad obedientiam Mosi mediatori V. T. & ductori populi præstandam. Constru-

structio cum ἐπι diversimode fit in casu tertio ἐπι ὀνόματι & κυρίω & in casu quarto ἐπι τὸ ὄνομα & κύριον, diversum quoque quælibet habet significatum. Ubi prius obtinet, plerumque eundem cum constructione ἐν ὀνόματι habet significatum, ad designandam auctoritatem mandatorumque ut & fiduciam in iubente tanquam causâ actionis. Deprehendimus id Matth. XVIII. 5. Marci IX. 38. 39. Luc. IX. 49. XXI. v. 8. Act. II. 38. IV. 17. 18. Rom. IX. 33. X. 11. Præsentio quoque & simulatio mandati à Domino accepti Matth. XXIV. 5. eadem effertur dictione. Parallela enim sunt, locis ex Marco & Luca allegatis, in quibus de ejectione dæmoniorum & patrione miraculorum factis ἐπι ὀνόματι Christi, illa quæ §. VIII. adduximus, ubi eadem opera ἐν ὀνόματι facta aut fieri dicuntur. Constructio cum casu quarto respondet plerumque phrasi ἐν ὀνόματι, & confessionem quam celebratio sequitur simul involvere solet. Act. XI. 17. XVI. v. 31. XX. 19. Rom. IV. 5. & 24. X. 14. Constructiones cum præpositionibus διὰ & ἐνεκεν ut & ὑπὸ ubi occurrunt, satis sunt notæ, & apparet facile, eis indicari causam vel efficientem, vel impulsivam, vel finalem. In phrasi denique πιστεύειν τῷ κυρίῳ Act. V. 16. & τῷ ὀνόματι ejus, Dominus & gloria ejus, objectum sunt eliciens assensum, actusque reliquos fidei ibi indicatos.

§. X.

Uti Servator quatenus est fidei objectum, varias ad pectus suum habet relationes, diversis in Sacris insignitas phrasibus, distincte & determinate intelligendis (§. IV.) sic quodlibet ejus nomen, utpote designans specialia qualitates ejus & promanantia ex eis specialia beneficia, speciales quoque actus eliciet ex anima credente aut excitabit in illa. Etenim fides (per §. V.) assensus est iudicii in veritatem menti propositam, & voluntatis in bonitatem objecti. Specialis vero cum veritas de Sospitatore menti repræsentatur,

B

terur,

2
2
2
2
2
2
30
15
14
11
12



teretur, cum & certa quædam ejus bonitas judicio proponatur, per quodlibet ejus nomen & quamlibet qualitatem, quæ ut fidei ponitur atque spectatur objectum, sequitur assensum & judicii & voluntatis, pro natura & qualitate objecti debere esse specialem. Certe differt assensus judicii, dum Servatorem habet pro luce, ab illo in quo eum agnoscit Dei legatum, atque ab aliis quibus insignite sanguinis ejus pretium meritaque approbat, quoniam in his omnibus veritates speciales menti proponuntur. Major distinctio debet oriri in assensu voluntatis. Quælibet in Servatore bonitas, specialium beneficiorum fons est, hinc desideria quæ inde excitantur, cum studio illis beneficiis potiundi, & cum fiducia quam gradus fidei altior producit, beneficiis istis congrua, diversos efficient actus.

§. XI.

Non licet nunc per omnia ire, actusque fidei omnes recensere, quos exserit, dum pro objecto habet Servatorem, ut lucem, ut legatum Dei, ut unigenitum, ejusque vel sanguinem vel nomen. Cum hoc postremum illustrare constituerimus, observamus id solum, in ipsis Sacris tribui nomini Christi effecta, quæ in salutem cedunt credentibus, & ea ratione fidei sunt objecta, distincta ab effectibus & beneficiis resultantibus ex aliis qualitatibus Sospitatoris, quæ iridem tanquam fidei objectum spectantur. Effecta nominis seu gloriæ atque Domini Servatoris, sunt quæcunque ad applicationem salutis spectant & faciunt, atque inter illa præcipue vita æterna. Testimonia valde dilucida occurrunt i Joh. V. 13. *Hæc scripsi vobis CREDENTIBUS IN NOMEN filii Dei, ut sciatis QUOD VITAM HABEATIS ÆTERNAM, & ut credatis in nomen filii Dei.* Concordat Joh. XX. 31. Joh. III. 16. *ut omnis CREDENS IN ILLUM (filium Dei unigenitum) non pereat, sed habeat VITAM ÆTERNAM.* Rom. X. 13. 14. *Quicumque invocabit NOMEN DOMINI, is SAL-*
VABI-



VABITUR, quomodo autem invocabunt in quem non crediderunt. Act. XXVI. 18. fructus FIDEI IN DOMINUM vñ. 15. appellatur HÆREDITATIS portio inter sanctificatos. SALUS derivatur Rom. X. 9. ex CONFessione oris Jesum ESSE DOMINUM, & FIDE cordis Deum illum RESUSCITASSE ex mortuis. Et sane, dum nomen indicat omnem gloriam atque auctoritatem, cum potentia quam Servator accepit post resurrectionem ex mortuis Phil. II. 9. 10. idoneus est, ad præstanda illa, quæ ad applicationem salutis & introductionem in perfectionem vitæ beatæ requiruntur: Repagula quæ obstant, ex peccati culpa & sequelis, potest remove: Hostes qui beatitatem impedire student, potest cohibere, & ex adverso concedere suis omnia, quorum indigent, utpote cujus dominio omnes res creatæ subsunt, cujus nutui parent, & à cujus providentiâ reguntur, quod in dissertatione allegata, prolixius evicimus. Hinc qui credit in nomen Domini, habet pro objecto suæ fidei, gloriam istam, quam Servator impetravit in exaltatione. Assentit cum iudicio suo testimonio Sacrorum de hujus rei veritate, assentit cum voluntate, atque ex isto nomine Servatoris, desiderat partim, quæ inde ad salutem expectari possunt, partim vero si exercitatus sit in hac fide, confidet illa ipsi concedenda esse. Brevibus, applicationem salutis in hac & futura vita, pro fidei suæ habet objecto, quo impellitur ad actus exferendos, qui ad fidei naturam pertinent, & ad quos per illud objectum excitatur.

§. XII.

Comparemus nunc cum hoc fidei objecto, aliud, nempe sanguinem Servatoris, qui tanquam objectum fidei proponitur Rom. III. 25. Si spectemus sanguinis illius effectus & merita, seu beneficia inde redundantia ad credentes, in Sacris diserte indicata, patebit quinam proprie sint fidei circa illum versantis actus, atque tum iudicii tum vo-

B 2

lun-

2
2
2
2
2
2
1
30
15
14
11
12



Iuntatis assensus. Effectus sanguinis dicuntur *λύτρωσις* I Pet. I. 19. *ἀπολύτρωσις* Ephes. I. 7. Col. I. 14. *ἀγόρασις* Apoc. V. 9. *Περὶ πώθησις ἐκκλησίας*, Act. XX. 28. *φαντισμός* Ebr. XII. 24. I Pet. I. 2. *confractio parietis intergerini distinguentis Iudæos atque Paganos* Ephes. II. 13. *restitutio pacis inter omnia quæ sunt in cælis atque in terris*, Col. I. 20. Coincidunt illa quæ de Jesu Christi, sacrificio, perpeffionibus & morte prædicantur, *Victoria de diabolo* Ebr. II. 9. *sublatio peccatorum* Ebr. IX. 28. I Pet. II. 22. *reconciliatio Dei & hominis* Rom. V. 10. Hæc aliaque, si exigantur ad supra indicata effecta nominis Christi, apparet, effectus sanguinis Servatoris & præstitorum in statu exili, attinere salutis impetrationem, uti effecta nominis ejus seu gloriæ concernunt illius applicationem, usque ad finem & consummationem in vita æterna. Nec est quod quenquam moretur, *δικάσιον* atque *ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν* derivari æque ex sanguine Christi Rom. V. 9. Matth. XXVI. 28. ac ex nomine ejus Act. XIII. 39. I Cor. VI. 11. Liqueat enim ex nexu, meritum sanguinis ibi describi respectu juris, ad ista beneficia impertienda acquisiti, effectum vero nominis, ipsam illorum concessionem & collationem esse. Actus fidei sanguinem Jesu pro objecto habentis, illumque sibi repræsentantis, hinc facile possunt intelligi. Assensum enim præbet cum judicio testimonio verbi de meritis istis sanguinis effusi. Assensum porro præbet cum voluntate, per approbationem meritum, consensum in illa & per desideria ad justitiam isto modo acquisitam, eo tendentia ut per impurationem in judicio divino gratiose concedatur, quæ desideria se explicant per continuam propriæ justitiæ abnegationem Phil. III. 9. Exserit dein actus cum istis desideriis congruos, amoris erga Servatorem, atque propositi firmi de obedientia legibus ejus exhibenda 2 Cor. V. 15. Dumque hæc fides exercitio & experientia incrementa capit, enascitur fiducia, credentem justitiæ atque pacis cum Deo redditum esse participem Rom. V. 1. Quomodo ista fides fit



fit integra atque sincera, facile ex consideratione regulæ ejus & dignitatis objecti eruitur.

§. XIII.


Effectus distinctos spectavimus, utriusque & sanguinis & nominis Christi, quorum utrumque fidei objectum speciale esse potest. Distinctos fidei actus inde resultare, in idem ex indicatis liquet. Uberius id patefcet, si circumstantias sanguinis & nominis Servatoris & quæ exinde redundant ad redemptos, lustraverimus uberius. Effusus est sanguis ejus in statu exili, igitur credenti illum statum in memoriam revocat, & menti repræsentat notionem amoris erga peccatores in perpeffionibus demonstrati 2 Cor. V. 14. Philip. II. 2. coll. vñ. 9. atque perfectionis & sufficientiæ lytri soluti. Impetratum est nomen in statu exaltationis, igitur fides in illud, cum istius status in mente excitat notionem gloriæ. Sanguis porro cum perpeffionibus, morte & universa obedientia, pretium est, quo salus est acquisita pro peccatoribus. Nomen indicat autoritatem & potentiam, quo illam applicat inque illius possessionem actu introducit redemptos. Objecta illa repræsentationis animæ credentis diversa prorsus sunt, status exilis & gloriosus, amor Jesu Christi, illiusque majestas & cum illa cuncta potestas, salutis impetratio atque ejus actualis applicatio. Diversæ repræsentationes, diversos excitant actus judicii & voluntatis. Distinctæ quoque esse debent inclinationes quæ tendunt ad jus ad vitam æternam acquisitum, & ad introductionem in possessionem illius beneficii. Quin imo diversi actus jerga Servatorem in fide debent edi, respectu utriusque uni fidei est objectum, respectu amoris demonstrati in sanguine effuso per amorem reciprocum 2 Cor. V. 14. & respectu gloriæ, quam nomen ejus indicat, per reverentiæ, subjectionis & fiducia con-
testationem.

2
2
2
2
2
2
1
30
15
14
11
12



§. XIV.

Ne vero videamur nimis fidere conceptui, quem nobis formamus de objectis fidei diversam repræsentationem in mente excitantibus, nosque ad diversa desideria diversosque actus impellentibus; videamus numne Sacra hic faciem præferant & eandem diversitatem indicent. Fidei diversos gradus videmus discerni, verum isto modo ut posteriori & altiori gradui ejus, simul adscribantur speciales & à præcedente distincti actus. Sic Rom. I. 17. *Justitia enim Dei in illo (Evangelio) revelatur, ex fide vivit, sicut scriptum est justus enim ex fide vivit.* Parallelus est in multis Rom. V. 1. 2. *Justificati enim ex fide, pacem habemus cum Deo per Dominum nostrum Jesum Christum. Per quem etiam accepimus additionem, fide in gratiam in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ Dei.* In priori dicto fides initialis & subsequens, ut & justitia atque vita distinguntur. Justus nemo est absque fide. Fides qua justificamur est in sanguinem Jesu Christi, Rom. III. 24. 25. Hinc dum de justo dicitur, illa fide justificato, prior fides illa est, quæ sanguinem Jesu Christi pro objecto habet. Distinguitur autem ab illa fides qua vivitur, hic nempe in gratia & deinceps in beatitate. Cumque salus effectus sit nominis Christi (§. XI.) illa intelligitur in mentione posterioris fidei. Clarius hæc distinctio patescit ex altero dicto. Commemoratur justificatio ex fide cum sequelis v. 1. subjungitur alia fides in gratiam in qua stabant, cui juncta erat gloria in gloria Dei, sive quam Deus erat concessurus. Gratia ista in qua stabant continet quæcunque ex salutis applicatione exorientia beneficia, quæ actu possidebant credentes, quæque promanant à nomine seu gloria Jesu Christi. Fides justificans salutis acquisitionem peractam pro objecto habet. Sequelæ cum actibus iridem recensentur uri distinctæ sunt. Ex fide justificante sive ex persuasionem salutem esse partam, actibusque voluntatis ei congruis, sequitur
pax



pax cum Deo. Ex fide in gratiam, seu ex persuasione actu nobis concessam esse vitam salutemque applicari, sequitur fiducia & gloriatio.

§. XV.

His prælibatis actus ipsos fidei in nomen Christi explicatius considerare licet. Primus est assensus iudicii, in testimonium de summa gloria, quam Sospitator consummatus adeptus est. Variis ille nititur fundamentis. Argumenta omnia quibus veritas Scripturæ N. Testamenti evincitur, principale sunt fundamentum hujus assensus. Etenim si illæ verum exhibeant testimonium de Jesu Christo, illud quod perhibent de summa ejus gloria, æque & itidem verum est, ac reliqua. Moralis ex istis argumentis his temporibus emergit certitudo. Aderat in primo ævo physica aut ad physicam prope accedens, & simul argumentorum moralem certitudinem parientium ingens copia. Cernebant tunc viventes non solum progressus stupendos regni ejus, verum etiam effecta æque miranda in nomine ejus patrata, in miraculis, & donis extraordinariis concessis ejus legatis. Pronum erat inde concludere, summa pollere Majestatem istum Dominum, in cujus nomine, cujusque causâ, tanta producebantur opera, quanta antea nunquam, & quidem isto modo, ut illa erat pollicitus Marc. XVI. 17. 18. Morali itidem certitudine nos de illarum rerum veritate nunc persuademur. Verum adsunt alia argumenta, nobis majorem parientiam evidentiam, quibus de nomine Christi nos persuademur. Fluunt illa tum ex rei Christianæ per tot secula & in tot turbis conservatione, quam penitior cognitio & quidem pragmatica historia Ecclesiasticæ pandit, tum ex consideratione effectuum moralium sive conversionis & emendationis hominum, quos efficit doctrina de Jesu Christo in cælis evector, cum maxime si comparentur cum promissis ab illo datis, de Spiritu

2
2
2
2
2
1
30
15
14
11. 3
12



ritu mittendo ejusque operationibus cum verbo junctis, duraturis ad mundi finem. Dum hæc per tot secula impleta sunt, implenturque indies, argumento id est, prædicentem illa olim, introiisse in gloriam, ex qua istos effectus tanquam ex fonte promanatuos, prædixerat. Hoc pacto assensus judicii redditur rationalis; si accedat experimentalis cognitio de effectu gloriæ Christi ejusque nominis in cordis proprii conversione, assensus judicii tanto redditur firmior, quanto majorem persuasionem efficit rei experientia, & quanto certior est conclusio ab effectu quem sentimus, ad causam quæ sensibus nostris non patet. Requiverunt hunc assensum judicii Apostoli. Scopus ille erat Evangelii Joh. XX. 31. & 1. Joh. V. 13. Hinc cum maxime fidem exegerunt in resurrectionem Jesu Christi, in qua exaltatio cepit gloriæ illa, quæ per nomen ejus indicatur Rom. IV. 24. X. 9.

§. XVI.

Sequitur assensus voluntatis. Cum ille consistat in approbatione, consensu atque desiderio (§. V.) nomen vero Domini indicet autoritatem, qua salutem partam valeret applicare (§. VI. & XI.). Hinc hæc fides approbat Servatorem exaltatum, viamque Dei qua illum constituit in Christum & Dominum, Act. II. 36; consentit porro in ejus gloriam, atque opus illud modumque quo salutem applicat ut rex gloriæ. Utrumque parit gaudium de gloria summa Ducis salutis & Principis vitæ, ad quod excitandum, annuntiatio Evangelii æque facit, ac ad excitandam lætitiã ob Servatoris adventum in mundum, Ef. LII. 7. coll. Rom. X, 15. Ps. XCIII. XCVII. & XCIX. Scaturigines inde exsurgunt desideriorum, ad salutem ab isto Domino applicandam tendentium, quæ invocatio nominis Domini, quatenus se precibus & suspiriis exserunt, audiunt Rom. X, 13. Habent illa non solum pro objecto, &
pro-

propriam salutem & gloriam nominis Servatoris in illa manifestandam, ut demonstrata, in nostra salute autoritate remotisque obstaculis, celebrationis ejus enascatur materies, quod empharice exprimitur 2. Theff. I. 11. 12. ubi consummatio applicationis salutis spectatur, ranquam fons celebrationis & glorificationis Jesu Christi; sed & argumenta moventia ad exauditionem, ex nomine illo, sive gloria manifestanda perunt. Joh. XIV. 13. 14. XV. 16. XVI. 23. 24. Hinc quicquid petitur in nomine Jesu Christi, petitur in fide in nomen illud, aut in Dominum istum Ephes. III. 11. 12.

§. XVII.

Nec est absque fiducia, dum exercitatione confirmatior facta est, illa fides. Summus fiducia gradus, ex nomine Jesu emergit recte credito. Etenim fiducia fidei, absque dubitatione tenet, & posse & velle Dominum, nil obstantibus quibuscunque impedimentis, actu implere & subiecto credenti exhibere quaecunque pollicitus est, & quaecunque ad promovendam salutem peculii sui faciunt. Autoritatem possidet, potentiamque accepit omnem in caelis atque in terra, illum in finem, ut illam impendat curandae salutis peculii sui redempti, quam perpeffionibus promeruit Ebr. X. 12. 13. Quicquid igitur ad illam spectat firmo huic innitur fundamento, concreditumque est Domino, qui aequè potest ac vult *gloriosus fieri in sanctis suis ac admirabilis in credentibus* 2. Theff. I. 10. Pendent enim ab ejus nomine, applicationis salutis in hac vita capita, liberati a peccati reatu & macula, & beneficia per quae istorum bonorum reddimur compotes, justificatio atque sanctificatio 1. Cor. VI. 11. gloriaque nominis ejus demonstratur in istorum beneficiorum concessione. Porro persuasio de remissione peccatorum Act. XIII. 39. & quaecunque faciunt ad jura filiorum Dei Joh. I. 12. Exserit se inprimis fiducia in devictione dubiorum quae fidem solent reddere imbecillem. Dubia illa ex obstaculis salutis, quae illam respectu nostri videntur

C

tur

2
2
2
2
2
1
30
15
14
11
12



tur vel incertam reddere vel evertere, emergunt. Sunt illa peccatorum culpa nosterque reatus, carnis imbecillitas, mundi illecebræ, Saranæ jura vel etiam potentia, tentationum vis, fatorum vicissitudines, hostiumque salutis nostræ vel vera vel verita potestas. Nihil est quod animum, timide circa hæc omnia fluctuantem, magis confortare valeat, quam recta nominis seu summi Domini Servatoris cognitio & fides in illam. Si hostes eorumque vim spectemus, prævalet illis in tantum Sospiratoris potestas, *ut nemo* quicumque demum sit, *ipsi eripere valeat suum peculium* Joh. X. 28. quis igitur hostium visibilium aut invisibilium, oberit? Rom. VIII. 38. 39. Si providentiæ ejus atque regimini subjectum sit totum universum, si fata orbis & ecclesiæ dispense, si omnes creaturæ nutui ejus pareant, si hostes suos debellet sibi que subjiciat pedetentim, uti in dissertatione *de summo dominio* *Deavd gōvrs exaltati, in universum* laus deduximus, quid obstabit, ne promissa impleat? Quæ fata, aut quæ tentationes salutem istam evertent? Si illam gloriam adiit, nixam omnibus summi juris fundamentis, in æterno Testamento & meritis absolutissimis fitis, quænam peccati expiati plene labes, finem applicationis salutis, vitam æternam intervertet? Sic *nomen Domini est turris fortissima, ad quam se recipiens justus salvabitur* Prov. XVIII. 10.

§. XVIII.

Fidei vita demonstratur bonis operibus Jac. II. 17. sq. & efficacia, charitate tum erga Deum triunum, tum erga proximum Gal. V. 6. Sensus harum dictionum est, in fide vera contineri propositum ad quæcunque bona opera & omnem charitatem, porro illam animum incitare & argumenta moventia ei subdere, ad exercitium omnium virtutum sincerum, diligens & constans, quo pacto virtutis exercitium redditur christianum, superans illud quod
ex



ex meris Ethices præceptis oritur; denique virtutibus istam inducere formam, in qua Deo placent. Ostendit id prolixè, in dissertatione bonæ frugis plenissima B. LAMPIUS de fide radice bonarum operum, quam nos ante hos viginti & quatuor annos, ipso moderatore, in alma Trajectina, defendimus. Eosdem fructus & effectus ad sanctimonix promotionem, habet fides in nomen Jesu Christi. Specialis enim representatio, quam in mente excitat gloria Θεανθρωπίας assensu judicii & voluntatis credita, studium sanctitatis producit in proposito & in actu. In proposito, ad exercitium omnis sanctimonix formando, fides in nomen Jesu operosa est; Etenim animum implet reverentia erga istum Dominum ejusque præcepta, sanctitatis veræ regulam, convincitque de veritatibus his, pollere Dominum nostrum, qui simul redemptor est credentis, autoritate ad præscribendam morum normam redemptis, porro æquissima esse tanti Domini præcepta, denique utilius nihil nihilque magis proficuum esse, ac obedientium ipsis actu præstitam, atque hoc modo, voluntatem inclinât, ad se subjiendum, summi Domini jugo lenissimo & æquissimo Matth. XI. 29. 30. Incitat præterea animum ad quarumcunque virtutum, sive generalium & omnibus confessoribus, sive specialium & versantibus in certo statu aut vocatione, injunctarum, exercitium, argumentis moventibus ex contemplatione gloriæ Jesu Christi, & adjunctorum ejus ductis. Convincit animum ista fides, quam æquum sit parere Domino, cui omnis potestas in cælis & in terra concessa est, istique Domino, qui ut Θεανθρωπος in gloriam evectus est, salutis nobis applicandæ causâ, quique olim in statu exili versans, in istarum virtutum exercitio nobis præiverat exemplum; quamque præterea conducat parere domino, cujus exaltatio, ut fratris primogeniti, pignoris instar est, credentes salutis & gloriæ æternæ participes reddendos, sub conditione, si similes reddantur imagini ejus, Rom. VIII. 39. quod in sanctimonix fit studio. Denique

C 2

2
2
2
2
2
2
1
30.
15.
14.
11. 3
12



nique formam Deo placentem bonis operibus inducit. Consistit illa in eo, ut partim defectus eis adhaerentes expleantur ex perfecta obedientia *summi pontificis sedentis ad dextram throni majestatis in caelis* Ebr. VIII. 1. quocum per fidem in ejus nomen unimur; & ut partim ad verum dirigantur finem, recta intentione. Finis verus operis Deo placens, est ut Jesu Christi causa fiat, Ephes. II. 10. Fides autem in nomen Jesu, cujus formale est, ut gloriam ejus tanquam summi Domini quaerat, utpote qui ipsi *verus* est 1. Pet. II. 6, formam istam operi inducit.

§. XIX.

Ad fructus fidei speciales pertinent, tum consolatio in perpeffionibus & afflictionibus, per illam haurienda, Ebr. XII. 2. 5. tum *παρηγορία* in confessione æque ac in precibus 2. Cor. IV. 13. 14. Ebr. IV. 14. 16. X. 21. 22. Fides in gloriam J. C. consolationem affert animo in quibuscunque afflictionibus. Si oriantur ex causis extra nos, consideratio summi ejus Dominii in universum, illa argumenta suppeditat stringentissima, quibus cum sensu acerbo & timore ulterioris mali imminuto, spes felicitis exitus exurgit, quæ a Paulo urgentur in consideratione *castigationum DOMINI* Ebr. XII. 1. sq. Etenim animo persuadet, regentem omnia sua providentia Dominum, afflictiones vel immittere, vel ut molestæ accidant permittere; nullam nos experiri citra ejus nutum; ipsum bonos, quos per eas intendit fines, certissime assequuturum; illisque impetratis jussurum ut cessent, atque eapropter omnes respectu modi & gradus, moderari. Si verò in nobis nostroque vel animo vel corpore oriantur sedemque habeant, ista fides nos confortat, ut considerando *Θεὸν ἰσοπέτητον* exaltatum, versantem prius in statu humili, in quo per omnia fratribus erat redditus similis, excepto solo peccato, & ubique tentatus est sicut nos Ebr. II. 17. 18. & IV. 15. persuadeamur ipsum experientialem



ralem nostrarum infirmitatum secum in caelos transtulisse cognitionem, qua ἐλεήμων misericors factus, potestque & vult συμπάθειν, modum imponer debilitatibus, quem scit esse convenientem.

§. XX.

Παρουσίαν quoque excitat, atque ad illam animum addit, ista fides. Si enim illam spectemus, quæ in precibus obtinet, qua libere, freti divinis promissionibus, quantum illæ ad nos spectant, exoramus ut illarum contenta nobis concedantur; fides in nomen Jesu, tanto potest agere confidentius, quoniam ab una parte, specialia Christus Servator dedit promissa, de vi precum, fundendarum post exaltationem, in ejus nomine, præ illarum, quas ipso in statu exili agente, credentes allegabant ad Patrem, Joh. XIV. 13. 14. XV. 16. XVI. 23. 24. 1. Joh. V. 13. 14. & quoniam ab altera parte, ipsa nominis J. C. consideratio, recte & in fide precantes de exauditione certos reddit. A dubiis enim pius liberatur, si constet, invocatum & posse & velle precantem exaudire. Christi vero summa gloria, de potestate nos non solum convincit, verum & de voluntate Patris, per modo allegata dicta, & Ephes. III. 11. 12. in quo (Domino) habemus parrhesiam & accessionem in fiducia, per fidem ejus. Similis ad confitendam doctrinam Jesu parrhesia, ex hac fide exoritur. Allicit majestas recte cognita & credita, ut nobis ducamus honori & gaudio, si ad tanti Domini vocemur celebrationem atque nominis ejus confessionem. Vincit etiam obstacula. Oriuntur illa, vel extra nos, ex minis hostium veritatis & causæ Christi, quarum ut & omnium conatuum atque molitionum hostium (utpote a sedente ad dextram Dei Servatore debellandorum) vanitatem, hæc fides clarissime inspicit, sicque spernit; vel oriuntur in nobis, ex carnis imbecillitate atque tarditate, quam superat assensus voluntatis in hac fide, inque illo cum consensu in gloriam summi & optimi Domini,

2
2
2
2
2
1
30
15
14
11
12



ni, gaudium ob ejus Dominium, quod ei junctum est (§. XVI.) Tam lætus enim animi sensus, quam quidem exoritur, dum spectamus Dominum nostrum ut summum, una cum curis, quas nominis ejus confessio secum vehere solet in rebus asperis, somnolentiam quoque dispellit, incitatque ne negligenter sed alacriter versemur, in officio confessionis Rom. X. 9. 10. Ita fide deprehendimus confortatos fuisse martyres, qui mira constantia in confessione dura perpeffi sunt, de quibus toties in sacris, illos id sustinuisse *διὰ, ἕνεκεν & ὑπὲρ ὀνόματος* J. C. Matth. X. 22. XIX. 29. XXIV. 9. Luc. XXI. 12. Act. XV. 26. coll. Act. IV. 17. 18.

§. XXI.

Fidei quoque species est extraordinaria, quæ miraculorum audit. Illius, dum locum habet, in temporibus Ecclesiæ in quibus obtinet, objectum non solum est nomen Christi, cujus consideratione illa viget, verum & ejus est fundamentum. Tum promissiones de miraculis patrands datæ Apostolis, tum & historiæ de illis patratis indicant, nomen Christi utramque ad fidem istam habuisse relationem, Marc. XVI. 17. 18. Act. III. 6. & 16. I. Cor. V. 4. 5. &c. Fides enim ad miracula efficienda requirebatur I. Cor. XIII. 2. In efficiente, quo Deus tanquam instrumento utebatur, fiducia animum confortare debebat, ad ejus preces actusve sequururum esse ex potentia Jesu Christi, effectum miraculosum. Illa verò in animo excitari atque nutriri non poterat, nisi cognitione summi dominii exaltati Sospitatoris in univèrsam, quo nutui ejus parent omnes naturæ vires, quoque ipse, qui ut *λογος* creator leges naturæ olim fixerat, nunc illas, postquam ut *θεὸς ἀνθρώπων*, eadem gloria quam apud Patrem habebat antequam mundi fundamenta jacta erant, auctus est, immutare & alterare potest, ad miracula producenda, prouti id sapientiæ ejus & finibus quos in bonum ecclesiæ intendit conveniens



niens videtur. Specimen insigne hujus fiducia in summam Domini potentiam habemus, in miraculo ab Apostolis in sanatione claudi edito Act. III. 6. Quin & istius cognitionis proximus in animo effectus est *πίστις*, quatenus donum extraordinarium notat, ut 1. Cor. XII. 9. & 1. Joh. V. 4. five animum heroicum, ad subeunda pericula Christi causa promptum.

§. XXII.

Falsa quoque locum potest habere fides in nomen Jesu, mortua nempe, manca & hypocritica (§. V.) Habemus ejus diversa in Sacris specimina. Mortua illa est, quæ cassa est bonis operibus, Jac. II. 17. ad quorum exercitium nomen Christi impellit. Consistunt illa, in contestatione reverentiæ erga Servatorem, quæ ore & opere vario modo, imprimis præceptorum ejus observatione exferenda est. Historica in nomen Jesu fides, seu assensus merus judicii, ipsum summa ornatum esse majestate, animum potest occupare, convictum de verbi divinitate deque veritate factorum insignium, patrorum olim in nomine Jesu, citra quod reverentia erga illum animum obfideat, aut ad contestationem ejus opere, urgeat. Tali fide, si nomen mereatur fidei, affecti erant filii Scevæ Act. XIX. 13. qui Jesu tribuebant potentiam, efficiendi modo sonus nominis ejus personaret, facta stupenda, quanquam illum nec recte cognoscerent, neque amarent, aut volutatis assensu salutem ex illo quærerent, juxta v. 15. In ipsa illa confessione dæmonis quæ ibi extat, istiusmodi historicæ de gloria Jesu fidei, exemplum latet. Cum enim illam dæmon sua ipsismet experientia dum per illam coarcerur, agnoscat, non tamen in Christum exaltatum Dominum, ita affectus est, uti requirit ejus summa gloria. Manca fides est, quæ conformis non est regulæ, sed vel omittit in utroque assensu, vel addit quæ regulæ adversantur. Defectum fides in nomen Jesu varium potest pati. Manca est, si quidem gloriam exaltato

2
2
2
2
2
130
15
14
11
12



altaro attribuat Sospitatori, verum neget viam per quam sibi aditum ad illum paravit, sanguinis merita, quin imo adventum in carnem. Contra hunc fidei defectum Johannes hortationes proponit I. Ep. IV. 3. *quicumque spiritus non confitetur, quod Jesus Christus venerit in carnem, ille non est ex Deo*, qui in nexu paulo antecedentium, cap. III. 23. præceptorum Evangelii summam proposuerat, *ut credamus in nomen filii ejus Jesu Christi*. Simulata denique fides in nomen Jesu, actus quidem exserit, reverentiæ speciem præ se ferentes, quibus tamen non respondent inclinationes internæ voluntatis. Exempla deprehendimus in pseudodoctoribus nomen Jesu confitentibus ipsique acclamantibus Domine Domine, quin stupenda in ejus nomine patrantibus facta, neque tamen præceptis ejus obedientibus Matth. VII. 21. Surrexere plures isto ævo, in quo gloria exaltati Jesu radios spargebat miraculis maximis editis coram mundo, qui de illa convicti, dominium ejus confitebantur, tamen male de illo sentiebant quin & aliis horis loquebantur Marc. IX. 37. 38. I. Cor. XII. 3.

§. XXIII.

Scripsimus hæc in gratiam vestram, Illustris Lycei Cives, qui ad sacrum epulum proxima dominica celebrandum invitamini. Accedendum est nobis fide vera & sincera. Quanquam nos symbola primum moneant de perpeffionibus atque sanguine optimi Sospitatoris, quibus salutem meruit in statu exili, quapropter a nobis amandus est ex toto corde; Revocant tamen etiam in memoriam salutis applicationem, quam in statu exaltato efficit & perficit. Componamus igitur animum, pia præparatione ad reverentiæ contestationem omni modo, confessione & opere, erga tantum Dominum, meritis suis amabilem, & gloria reverendum, per cujus majestatem salus nostra solum certa redditur. Inveniemus mediante fide tali in nomen ejus,

ejus, viva, sincera & ex toto corde, remissionem peccatorum, & justificationem a labibus, a quibus alio modo purgari non poterimus. Act. XIII. 38. 39.

TANTUM.

THESES.

I.

Deus non solum omnes perfectiones possibiles habet, sed easdem quoque possidet absolute & sine gradibus.

II.

Omnipotentia Dei objectum res possibiles sunt.

III.

Voluntas Dei est liberrima.

IV.

Affectus in Deum non cadunt.

V.

Finis cur Deus hunc mundum creavit, est perfectionum suarum manifestatio.

VI.


Revelatio indicat media, ad salutem necessaria.

VII.

Peccatorem propter bona opera justificari absurde statuitur.

D

VIII.



VIII.

In dilatione adventus Messiae, Deus sapientiam suam egregie illustravit.

IX.

Essum carnis ante diluvium in usu fuisse, ex Sac. Scriptura probari nequit.

X.

Fideles sub Vet. Test. æque per Mediatorem salvati sunt, ac fideles sub Novo Testamento.

XI.

Stetisse mare rubrum divisum, transeuntibus Israelitis per illud, muri instar ad utrumque latus, per miraculum, secundum litteram credimus.

XII.

Gradus in futura glorificatione dari non dubitamus.

XIII.

Anima post mortem corporis, sibi adhuc sui conscia est, seque eandem adhuc esse cognoscit, quæ antea fuit, dum juncta erat corpori.


XIV.

Si quis in Sacramentorum, doctrina credat, signum & rem signatam esse idem, an is arrham pro solutione plena in temporalibus habebit?

XV.

Cum Ecclesia sit distincta, tum vocatorum, tum sanctificatorum, quam alias externam & internam vocare solent; statuimus Sacramenta ad utramque habere distinctam & diversam relationem.





* * * *

Impiger ascendis STOKMEIER culmina Pindi,
 Deliciæ charitum, deliciæque meæ.
 Ingenium vegetum, solers quoque mentis acumen
 Dono tradebant, Numina celsa tibi.
 Nam quæ sit veræ, gratæque salutis origo,
 Hoc bene demonstras PRÆSIDE sub CELEBRI:
 Nimirum sincera fides in NOMEN JESU,
 Per quod & accipimus justitiam atque vitam.
 Quapropter lætus grator tibi suavis amice,
 Ut Numen cæptis annuat hisce tuis.
 In Rebus cunctis DOMINUS tua cœpta secundet
 Naturæ pereant ne bona tanta tuæ.
 Tende decus Juvenum quo te sapientia summa,
 Quo virtutis amor, quo pietasque trahit.
 Ut quoque tuta tuis curis Ecclesia crescat,
 Et caput erectum tollat ad astra Sion.
 Adprecor ut seros consumas Nestoris annos,
 Utque feras lætus digna βαβυβια peto.

Hicce Amico suo doctissimo atque integerrimo
 benevolam amicitie memoriam com-
 mendat.

MELCHIOR BODMERUS, V.D. Min.
 Helv. Tigurinus. Opponens Ord.

D 2

Du,

2
2
2
2
2
2
30
15
14
11
12

Du, die du mit beredter Zungen
 Vom Lob der Helden sonst gesungen,
 Calliope, hör deinen Sohn,
 Und steig herab vom Helicon!
 Verdient dan der nur deine Lieder,
 Der geizig die gestählten Glieder
 Zum Raub der fremten Staaten kehrt?
 Nein! der mit angestregten Sinnen
 Die Wahrheit suchet zu gewinnen,
 Auch der ist deiner Lieder wehr.
 So dreh dan nun den Blick nach Norden,
 Wo Bremen blüht! Wen siehst du dorten?
 Stockmeier ist's, der sich dir zeigt,
 Desß Fuß den Lehr-Stul froh bestieigt.
 Denn unterm Schuß des Herren Nonnen
 Ist sein beredter Mund gesonnen
 Die Schrift zu schützen, die er hält.
 So rückt heran, und streitet tüchtig.
 Ihr, die ihr für nicht alzurichtig
 Die wohlerwog'nen Sätze stell't!
 Aber, Freund, leg Du die Proben
 Deines Fleisses jegund dar!
 Daß Dich jeder möge loben,
 Der anjezt zugegen war!
 Ja! ich seh Dich schon mit Lachen
 Deine Segner sprachlos machen;
 Aber nicht durch leer Geschrey.
 Durch die Krafft in Deinen Gründen
 Hör ich Dich sie überwinden.
 Recht, Stockmeier! Bleib darbey!

Also sang dem geschickten Herrn Bertheidiger
 glückwünschend dessen Freund

Joh. Henr. Vest, aus Cassel in Hessen,
 der Gottsgelahrtheit Befliff, als ord. Segner.


Index.


- 1) Hafaus de Tribu situ creditus necessarius. P. I.
- 2) ————— P. II.
- 3) ————— P. III.
- 4) Lampe de Inspiratione.
- 5) Nonnen de Donis Spiritus S. Extraordinarius P. I.
- 6) ————— P. II. (Rel. VI. Tom II Theolog.)
- 7) ————— de Juribus Satanae veris & praetensis in gens humanae.
- 8) Krichhoff de Christo homine obligatione legum div. anteced. & externa soluto.
- 9) Nonnen de Summo Dominio Georgianae Gallati in Universum.
- 10) Scheele de Praesentia Salutis humanae per Christum parte pro felicitate concreatâ in statu integ.
- 11) Nonnen de Fide in Nomen Domini nostri, Jesu Christi, Filii Dei.
- 12) Carporii Illustrationes apologeticae Peccati in Spiritu Sanctum Specimen I
- 13) ————— Spec. II
- 14) ————— Spec. III.
- 15) ————— Spec. IV.
- 16) ————— Spec. V.
- 17) ————— Spec. VI.
- 18) ————— Spec. VII.
- 19) Observationum contra Carporii sententiam de Peccato in Sp. S. Pars I.
- 20) Schwarz de Sensuum in judicandâ Transubstantiatione Missivâ Testimonio.
- 21) Nonnen de Aetate Beatorum gloria post consummationem Mediationis.
- 22) Lampe de Poenarum Aeternitate. Pars dogmatica.
- 23) ————— Pars elenctica.
- 24) Nonnen de Rebus Tabernaculi typis caelestium.
- 25) Camerarius de Luctâ precum.
- 26) Meier de Distinguere eorum quod Naturale & Morale dicitur in Theologia.
- 27) Serpili Ceterorum Theologorum.
- 28) Zacharia de Fraternalitate Christianâ.
- 29) Enders de Praejudiciis practico Christianismo noxiis.
- 30) von Meißhoffen de Prudentiâ nupturientium gamica.



[Faint, illegible handwritten text on aged paper, possibly bleed-through from the reverse side.]







Divino certum esse putant pleriqve, benedictis literaliter probari non posse, sed tamen, aliorumqve populorum piè introdu-
 m, aliunde patet, qvòd aliquot Exempla Patriarum dantur, ubi matrimonialis benedictio
 C. XXIV, 60. Ruth. IV, 11. Tob. IX, 9. Et
 thalamium pepigit Ecclesiæ Sponsæ Christi-
 car Leo ad omnia matrimonia constituit
 eram benedictionem, sive ut Græci vocant
 ut sine hâc nullum voluerit esse ratum
 De *fure* quidem Romano statuunt alii, hanc
 on fuisse necessariam, aut de matrimonii
 oribus Christianorum est vetustissimum in-
 ve temporibus nostris ea *nunc necessaria*
 ritò, ut adeo inanis illa disputatio, hanc
 ecclesiæ non necessariam aut de *Substantia*
 Ambabus enim manibus hoc conceditur
 s, sed mores prædominantur. *Quod totus*
ego non audeo damnare, ait Baldus auriga
 do:
sponsus, sacras ut firmet ad aras
am thalami Numine teste fidem.

Qv. An nuptias die Dominica instituere li-
 oisimè Sabbathò nuptias celebrari, autor
 mag. Jud. c. 15. p. 323. Idqve ideo, ut eò
 ritus, & majore Sabbathum honore afficia-
 noctè concipiuntur, ut plurimum in præ-
 indolem, & in sapientum Discipulos eva-
 primis si bonæ & puræ interveniant cogi-
 coitûs voluptas, qvàm Sabbathi cultus
 r. Sanior mens Christianis antiqvis etiam
 qvi, qvâ erant in Deum pietate, solennia
 à nuptiis agendis exemerunt, & in hunc
 usqve

Die Domi-
nicâ Copu-
lario, non
compotatio
Nuptialis
fieri potest.